RECURSUM

AD

COMITIA IMPERII VNIUERSALIA

OB

STATIBUS IMPERII

AUSTRAEGARUM

DENEGATAM INSTANTIAM

SISTIT

BERNHARDUS FRIDERICUS RUDOLPHUS
LAUHN

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



VINARIAE
APUD SIGISMUNDUM HENRICUM HOFFMANN
CIↃ IↃCCXXXVIIII

Digitized by Google

Quae communia ſunt bona, re dundant etiam in ſingulos: quem ad modum naui uento ſecun do acta, una nauigantium gaudet quilibet. Ioannes Caſelius, can dore Germanus, ſtilo Romanus in epiſtola XVI ad Carolum, Pala tinum Rheni, Ducem Bauariae

EXCELLENTISSIMO
ATQUE CONSULTISSIMO
DOMINO

IUSTINO HENRICO FOECKLERO

SERENISSIMI AC CELSISSIMI
PRINCIPIS SAXO VINARIENSIS
CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO
BIBLIOTHECAE AUGUSTEAE
QUA
PALATIO PRINCIPALI
MAGNA GLORIAE ACCESSIO
EST FACTA
PRAEFECTO VIGILANTISSIMO
ET
QUAE SUNT RELIQUA DIGNITATUM NOMINA
PATRONO SUO MAXIMO OPERE
COLENDO

Digitized by Google

primo anni incipientis die
quem
laetis precationibus
inuicem fauſtum
ominamur
leuidenſem hanc ſcripturam
dat dicat dedicat
ſimulque
ſecretis malis omnibus
cumulatum bonorum complexum
ad ſupremum uitae halitum
qui tamen ſerus ſit
duraturum
apprecatur
FOECKLERIANI NOMINIS
pius cultor et perpetuus

Bernhardus Fridericus Rudolphus
Lauhn

Digitized by Google

§· I

Auſtraegarum neceſſitas.

Omnibus Statibus quam maxime intereſt, ne deterioris fiant conditionis, quum infimae ſortis homines plures habeant inſtantias. Hinc, Auſtraegarum iura ut illaeſa conſeruentur, eſt neceſſe †

† Staats Acta uon Teutſchland Parte II, p· 151, Illuſtris Kemmerich in diſſ· de Auſtraegis S·R·G·I· Comitum Sect· I, §· VIIII, c), §· X, a) et e), Incomparabilis ICtus Strauchius in diſſ· de Auſtraegis §· XXVIIII

§· II

Originis cauſſa

Hac quidem ex cauſſa † haud ſunt ortae; ſed potiſſimum ex antiquiſſima Germanorum

Digitized by Google

libertate ueniunt, qua quilibet Status †† a pa ribus ſuis iudicabatur, turbulentis dein reipu blicae temporibus †††, quum uel prorſus nul la uel ſaltim in exteris terris eſſent publica Im perii iudicia, & poſt illud Imperio pernicio ſiſſimum aeuum magis magisque ſtabilitae

† Acutiſſimus Titius in iure publico Lib' VII, Cap' III, §' IIII, Conring, qui manu medica reſtaurauit publi cam iuris prudentiam, de iudiciis reipublicae Germa nicae §' LXII, in fine. Diſſentiunt magni nominis ICti Schilter To' I, Lib' IIII, Tit' VII, §' II & de Coc ceii in iuris publ' prud' Cap' XXXII, §' XXVII, quo rum tamen ſententia fidei hiſtoricae repugnat

†† Γρυτε uir αιωνος Maſcou in principiis iur' publ' Lib' V, Cap' VI, §' VII, n' 1, Kemmerich c' I' §' II, d), §' VIIII, a) et §' X

††† Doctiſſimus Hoffmann in diſſ' de iure publico, quod in Sacro Rom' Imperio Interregni magni temporibus obtinuit §' XLIIII

§' III

Cui hodie ac ceſſit altera

Durant adhuc ex priſca Germanorum con ſuetudine et ſecundum hodiernam ſummo rum Imperii tribunalium formam neceſſariae, ut ſint primae inſtantiae beneficium

§· IIII

Auſtraegarum iura ſunt confirmata per ordinationes iudicii cameralis †, per inſtrumentum pacis Oſnabrugenſis ††, per receſſum Imperii nouiſſimum †††, ordinationem iudicii aulici ††††, capitulationes diuorum Imperatorum ††††† & nouiſſimam inuictiſſimi noſtri Imperatoris † Caroli VI, cui coelum ſemper ſit ſerenum, ut mundi ſtatus ſuper lunam

Confirmatio

† de anno 1495 in comitiis Wormatienſibus a Maximiliano I facta Tit· XXIIII, XXV, XXVI et XXVII, de an· 1521, Tit· XXXIIII, de an· 1548 et 1555 Parte II, Tit· II, III, IIII & V, nec minus Concept der Cammer Gerichts Ordnung de anno 1613 Parte II Tit· II ſeqq

†† art· V, §· LVII

††† de anno 1654, §· 105 & 168

†††† de an· 1654 Tit· II, §· 2 et de an· 1714, §· 16

††††† Ferdinandi IIII art· XV, Leopoldi art· XVIII, Ioſephi art· XVII

† art· XVIII. Sic ob Statuum d· 23 Sept· 1711 exhibita grauamina Imperator d· 14 Ianua· 1714 iudicio aulico reſcripſit: Daſſ derſelbe die priuilegia auſtraegarum et primarum inſtantiarum denen Reichs Satzungen nach genau beobachten ſolle, damit hinfuhro darge

gen keine Beſchvverden mit Grund der Wahrheit kœnnen gefuhret vverden. Staats Acta Par· II, p·163

§· V

Auſtraegarum indolem alii ſatis deſcripſerunt

Superſedeo auſtraegarum definitionem et notiſſimas earum diuiſiones tradere, atque perſonas, quae fori auſtraegalis ſunt capaces, enarrare, nec minus, quid circa iudicis conſtitutionem ſit obſeruandum, indicare, cauſſas que hic tractandas enummerare, quum ſint a uiris eruditis † ſaepius tradita

† conf citatos ad §· I et Heitmann in diſſ· de Auſtraegis conuentionalibus Ganerbiorum nobilitatis immediatae atque iuris publici tam prima elementa quam corpora

§· VI

Lectori, cui magna debetur reuerentia, praemonendum erit; ſemper intelligimus cauſſam, forum Auſtraegale fundantem, quando nobis generatim eſt ſermo

§· VII

Ob denegatam primam inſtantiam Status habet grauamen priuatum

Auſtraegis confirmatis §· IIII, non licet iudicio aulico atque camerae imperiali Statui hancce inſtantiam denegare; quod ſi factum, Status litigans habet grauamen priuatum

§. VIII

Tranſeamus nunc ad recurſum † ad Imperii comitia uniuerſalia, et breuibus, quantum quidem ingenii uires permittunt, expendamus, quod ſit illi locus, denegata Auſtraegarum inſtantia

† Scripta ad recurſum pertinentia recenſet uir doctrina et natalibus illuſtris Moſer in der Betrachtung des Recurſus von den hoechſten Reichs Gerichten an den Reichs Conuent edit. ſecunda Cap. I, §. I; quibus addi poſſunt: Rechtlicher Bevveiſthum, daſſ der in entſchiedenen Sachen Herrn Ludvvigs Erb Prinzens zu Heſſen Darmſtad vvieder Herrn Wilhelm, Landgrafen zu Heſſen Caſſel, die Hanauiſche mobiliar Verlaſſenſchaft und das Amt Babenhauſſen betreffend, erhobene Recurſus keinen effectum ſiue deuolutiuum ſiue ſuſpenſiuum haben koenne, ſondern vielmehr ad intereſſe commune omnium Imperii Statuum die Volſtreckung der in rem iudicatam ervvachſenen Cameral Sententien erfordere, Darmſtad 1738 fol., nec non Caroli Ottonis Rechenberg, ICti, programma, quo ſummos in iure honores duobus Candidatis d. VIIII Maii ∞ ɪↄ cc xxxvii ſolemni ritu in templo Academico tribuendos intimauit, Lipſiae

§ VIIII

Definitio

Recurſus ad comitia eſt remedium iuris, quo ad comitia Imperii uniuerſalia cauſſa litigioſa in caſibus permiſſis † defertur, ut ſummi Imperii tribunalis iurisdictio ſuſpendatur

† Quos Dominus Aſſeſſor de Ludolph in commendatione Syſtematica de iure camerali Sect' I, §' I, p' XVIIII ſeq' & in App' III, §' I, p' 129 ita colligit, dicens: Quando iudex ſupremus aut non poteſt, aut non uult ſuo fungi officio

§ X

Obtinet in caſibus permiſſis

Recurſus, quem §' praecedenti definiuimus, ſuam accipit ualiditatem ex legibus Imperii. Leges autem eum indulgent uel expreſſe † uel tacite ††

† Inſtrum' Pac' Oſnabr' art' V, §' LVI, Capitul' nouiſſ' art' XX

†† Nam ratio legum Imperii eſt inſpicienda. Hoffmann in der Einleitung in das ius publicum des heil' Roem' Reichs §' XI, eiusdem diſſ' de ratione interpretandi leges Imperii Rom' Germ' publicas

§ XI

Definitio Comitiorum

Comitia Imperii ſunt conuentus Statuum uniuerſales de Imperii negotiis

§ XII

Negotia Imperii dicuntur, quae ſpectant ad gubernationem Imperii

Imperii negotiorum

§ XIII

Quum alias, quod reipublicæ pars eſt, per excellentiam appelletur publicum; uoces negotia Imperii, cauſſas publicas uel negotia publica promiſcue uſurpabimus

Negotia Imperii, cauſſae publicae, negotia publica uocabula unius ſignificatus

§ XIIII

Omnia ad gubernandum Imperium facientia † requirunt Procerum conſenſum, hinc negotia Imperii ſine conſenſu ordinum expediri nequeunt. Negotia autem cum conſenſu ordinum expedienda ad comitia pertinent, hinc in conuentibus Imperii uniuerſalibus ſunt tractanda

Imperii negotia in Comitiis uentilanda

† negotia, quae faciunt ad Imperii gubernationem, ſigillatim recenſere, erit pro noſtro propoſito ſuperfluum

§ XV

Negotia priuata, quae ad commodum ſingulorum ſunt directa †, gubernationi non

Haud uero priuata

Digitized by Google

inſeruiunt; hinc in Comitiis exulare debent §· XIIII

† Celeberrimus Fritſchius in iure publico uniuerſali §· LIIII, p· 66

§· XVI

Iuſtitiae reformatio ad Comitia pertinet

Quae ad gubernandum Imperium pertinent, in Comitiis ſunt tractanda §· XIIII. Imperium gubernari nequit, niſi adminiſtretur iuſtitia et ſuum cuique tribuatur. Ideo reformatio iuſtitiae in Comitiis eſt uentilanda †

† Inſtrum· Pac· Oſnabr· art· VIII, §· III, Capitul· nou· art· IIII

§· XVII

Cuius pars eſt prima inſtantia denegata

Poſthabita in iudicio Imperii ſupremo priori inſtantia, iuſtitia denegatur, quae quum ſit a Comitiis emendanda per §· praeced·, hic quoque paſſus, ad iuſtitiam proceſſus ſpectans, erit in Comitiis excutiendus; qua propter recurſum, ob forum primae inſtantiae denegatae, fundatum eſſe oportet

§· XVIII

Grauamina Statuum ſunt cauſſae publicae

Maximum Imperii noſtri gubernandi eſt momentum, ut querulantium Statuum graua

mina exaudiantur, quibus ut ſatisfiat, ſine Comitiis fieri nequit §. XIIII. Hinc Grauamina Statuum ſunt negotia publica

§. XVIIII

Quoniam querelae Statuum ſunt negotia publica per §. praec.; ſequitur, grauamina querulantium Statuum ad Comitia † eſſe perferenda §. XIIII In comitiis tractandae.

† Capitul. Ferdinandi IIII art. 43, Leopoldi art. 43, Ioſephi art. 41, Caroli VI art. XIII. Legas quoque Imperatoris decretum de d. XIIII Auguſti 1715 a Commiſſione Caeſarea ad Comitia Ratiſbonenſia delegata cum Statibus communicatum, quod exhibent iuris publici et priuati peritiſſimus Moſer in ſcripto ſupra citato Cap. II, §. LVIIII, p. 119, Electa iuris publici Tom. VIIII p. 62, et Deductio §. VIIII allegata in adiunctis num. E; praeprimis ſequentia notatu ſunt digna uerba: Geſtalten Ihro Kayſerliche Maieſtaet auch eben ſo vvenig die an Ihro in uorkommenden Reichs Haendeln etvva beliebige Vor und Bittſchriften, ihrer und der Sachen grundlich und beſcheidentlicher Art und Beſchaffenheit nach, auf einigerley Weiſe zu hindern oder zu unterſagen, als auf dem „Fall, da deroſelben einig erhebliche Beſchvverden „vvieder dero hoechſte Reichs Gerichte oder deren „beſondere Glieder mit rechtem Grund geziemend

„beygebracht vverden vvolten , darunter denen Reichs Staenden oder ſonſt iemanden Ziel und Maaſ oder Einhalt zu geben gemeynet ſeyn, ſondern keines vveges ermangeln vverden, ſolchenfals, befindenden Vmſtaenden nach, das gehoerige allergnaedigſt gerne zu verfugen. Statuum Imperii ad Caeſarem d' 23 Maii 1716 miſſa remonſtratio extat apud Moſer c· l· §· LX, p: 125, & in Electis iuris publici T· X, p' 253

§· XX

Statibus ſunt iura communia

Notum eſt quam notiſſimum Statibus competere iura uel omnibus uel non nullis communia, a multis ſeculis poſſeſſa et legibus fundamentalibus confirmata

§· XXI

uel omnibus

Statibus ſi denegatur a iudicio Imperii ſummo ius, quod omnibus competit, commune facit grauamen omnibus Imperii Proceribus

§· XXII

uel nonnullis

Status ſi a iudicio Imperii ſupremo priuantur iure, quod quibusdam competit, commune habent grauamen, qui hoc iure gaudent

§· XXIII

Hinc grauamen commune eſt, quod com petit uel omnibus uel quibusdam Statibus Definitio

§· XXIIII

Status ſi obtinuit ſingulare ius, quod illi denegatur, habet grauamen priuatum Ob ius ſingulare denegatum oritur grauamen priuatum

§· XXV

Negotium, quod tangit unius Status inter eſſe, in Comitiis exulare debet §· XV. Grauamen priuatum ad reparandum damnum unius Status tendit §· XXIIII. Quare uides, cur grauamen priuatum in Comitiis † non tractetur quod a limine Comitiorum remouetur

† Moſer l· c· Cap· V, §· XIII

§· XXVI

Quum querulantium Statuum grauamen coram Comitiis ſit tractandum §· XVIIII; damnum uel omnibus uel nonnullis Statibus commune, quod ex cauſſa litigioſa redundat, erit grauamen commune §· XXIII: hinc eius deciſio ad Comitia ſpectat Grauaminis communis deciſio fit in Comitiis

§ XXVII

Grauamen commune dat recurſum

Ponamus, Statum in iudicio Imperii ſummo ob qualitatem quibusdam communem eſſe laeſum; eo ipſo laederetur ius, ui cuius quibusdam competit quoddam commodum § XXII, Statusque haberent grauamen commune § XXIII. Grauamen commune, quod ex cauſſa litigioſa uenit, in Comitiis eſt tractandum § XXVI. Prono fluit alueo, Statum ob grauamen commune, quod uenit ex cauſſa litigioſa, ad Comitia poſſe recurrere †

† Moſer c· l· Cap· V, § XVI

§ XXVIII

Ob grauamen primae inſtantiae denegatae

Pars litigans, cui denegata fuit prima Auſtraegarum inſtantia, habet grauamen priuatum § VII. Grauamen denegatae primae inſtantiae, cuius quum interſit Statibns Imperii quibusdam, producit grauamen commune § XXIII; hinc ex grauamine priuato fit commune, adeoque in Comitiis eſt inueſtigandum

§ XXVIIII

Recurſus eſt fundatus

Denegata a iudiciis Imperii ſummis hacce prima inſtantia, denegatur ius quibusdam

Digitized by Google

competens, adeoque oritur grauamen commune §. XXIIII. Status ob grauamen commune, quod ex cauſſa litigioſa uenit, ad Comitia recurrere poteſt §. XXVII; Quare, recurſum ob denegatam primam inſtantiam ad Comitia dari, erit neceſſe.

§. XXX

Ob confirmatum Auſtraegarum ius, ſi omittitur, tacita adeſt recurſus permiſſio

Quum Imperator promiſit ſe tuiturum Statuum iura †, uti Auſtraegarum inſtantiam §. IIII, conceſſit quoque tacite recurſum ad Comitia, ſi denegata fuit haecce inſtantia in iudicio Imperii aulico uel camera imperiali, ut haecce haereſis, Statuum iuribus contraria, ut grauamen perpetuum, expendatur, et iura Statuum, u. c. auſtraegalis inſtantiae, ſarta atque tecta conſeruentur

† Capitul. nouiſſ. art. I

§. XXXI

Ob interpretationem iuris auſtraegalis ad Comitia recurri quit

Eo ipſo, quum prima inſtantia a iudicio Imperii ſupremo omittitur, dubia adeſſe debent circa ius auſtraegarum, conſtitutionibus et receſſibus Imperii publicis conſtitutum §. IIII. Quando autem lex dubiis eſt inuoluta, interpretatio eſt facienda, qua non pollet iudicium quoddam Imperii †, ſed Imperium ipſum ††, cuius coimperantes ſunt

Imperator et Status: ideo cauſſa litigioſa, pendens in iudicio Imperii ſummo, quod denegat primam inſtantiam, ad comitia Imperii eſt remittendum, donec certi quid definiatur †††

† Rechenberg, uera ICti idea, in programmate citato maximo ratiocinatur iudicio: Vti, inquiens, nouae condendae legis poteſtas iudici numquam concedi tur, ita, quod certo reſpectu idem foret, antiquae dubiae uel abrogandae uel explicandae auctoritas nemini et Rec. Imp. de an. 1654, §. 191 ne quidem deputationum ordinariis permittenda eſt, quod et haec poteſtatis legiſlatoriae non ultima pars haberi debeat

†† Inſtrum. Pac. Oſnabr. art. VIII, §. II

††† Inſtrum. Pac. Oſnabr. art. V, §. LVI

§. XXXII

Notatur ſententia, qui iudicio aulico concurrentem dant iurisdictionem

Quum Auſtraegae ſint primae inſtantiae iudicia priuilegiata §. IIII; illorum † ſententia, qui iudicium imperiale aulicum cum Auſtraegis cumulatiue concurrere ſtatuunt, nullum meretur applauſum ††

† inter quos eſt Paurmeiſter de iurisdictione Imperii Romani Lib. II, Cap. IIII, n. 139

†† Conf. Illuſtris atque Excellentiſſimi Domini Langgut, Conſiliarii Aulici, aeterna laude digniſſimas Animaduerſiones in Henrici de Cocceii prudentiam iuris publici Cap. XXXII, §. XXVIII, n. 2

§ XXXIII

Quid? Si quis obiiciat, grauamen contra ſententiam cameralem coram Comitiis reprae ſentatitiis ſeu commiſſariis Camerae ſtatariis † eſſe proponendum. Reſponſionem habe mus in numerato. Quis enim ignorat, quamdiu illos deſiiſſe, atque extraordinariam reuiſionem haud eſſe ſperandam ††. Quis ad illos prouocare quit, aut quis uult aquam quaerere in cribro uel multis conſequi amba gibus, quod uia poteſt compendiaria. Igi tur, quoniam a libertate perferendorum gra uaminum ad commiſſarios Camerae ſtationa rios ad licentiam exponendorum eorundem coram mandante i· e· in comitiis non imme rito ††† argumentari quit, ad Comitia res eſt deferenda

Ob deficien tes uiſitatio nes funda mentum re curſus auge tur

† Ordin· Camer· P· I, Tit· L, §· VVenn einiger Chur Furſt

†† ut docet reuiſio extraordinaria in cauſſa Erbmanno rum. Moſer l· l· Cap· II, §· LIIII, p· 114

††† Rechenberg l· c·

§ XXXIIII

Priuatorum negotiorum deciſio ad iudi cia Imperii ſuprema, quorum poteſtas ſolum

Iudicia Im perii ſuper competen tia iudicant

Digitized by Google

in applicatione iurium conſiſtit, pertinet. Hinc ſuper competentia fori iudicat †

† Rec· nou· §· XXXVII et XL, Moſer l· c· Cap· III, §· XXVI, Cap· IIII, §· XXIII, Cap· V, §· XXX

§· XXXV

Ob recurſum ſuſpenditur eius iurisdictio

Si autem a iudicio Imperii iuri, quod non nullis Statibus competit, contraria ſit definitio, oritur grauamen commune §· XXIII, quod eſt negotium Imperii §· XVIII et in Comitiis decidendum §· XVIIII. Iurisdictio Imperii ſuſpendenda erit, uſque dum certiquid ſit ſtatutum

§· XXXVI

Quid? Grauamine excuſſo

Facta in Comitiis quaeſtionis incidentis deciſione a Caeſare confirmata, cauſſa ob grauamen, quod nullo nitebatur fundamento, ad ſummum Imperii tribunal remittitur, uel contra ad Auſtraegas

§· XXXVII

Sufficiant, ad corroborandum recurſum adtuliſſe denegatam iuſtitiam §· XVII, grauamen commune §· XXVII, XXVIII et XXVIIII, iura auſtraegarum ſtabilita §· XXX, eorundem interpretationem §· XXXI atque deficientes uiſitationes §· XXXIII. Meliora edoctus, manus dabo uictas. Interim, ne malus audiat, opto

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E...